



3443.

ANNVENTE. DIVINA. IVSTITIA.
IVBENTE. AMPLISSIMO. PHILOSOPHORVM. SENATV.

CONCATENATAS.

DE.

IVRE. ET. IVSTITIA. COGITATIONES.

IN. HELICONE. PATRIO.

PRO. IMPETRATIS. PHILOSOPHIAM. DOCENDI. IVRIBVS.

H. L. Q. C.

IVSTO. PRUDENTVM. IVDICIO.

HUMANISSIME. SVBMITTIT.

M. PHILIPP. THEOD. MÆSSE. 12
S. S. T. CVLTOR.

AVXILIVM. SVBMINISTRANTE.

IOHANNE. IOACHIMO. KLINGER.
BORVSSO.

CASSIODORVS. IN. PSALMOS.

IVSTITIA non nouit patrem, non nouit matrem: veritatem nouit,
personam non accepit, Deum imitatur.



IN. MONTE. PRVTENORVM. REGIO.

IMPRIMENTE. REVSNERO.

A. O. C. clo Icc xxxvii. DECIM. CAL. MART.

QVI.

IVRI. AC. IVSTITIAE.
IN. REGNO. BORVSSICO.
SACRA. AVGVSTISSIMI. REGIS.
VICE. PRAESVNT.

ILLVSTRISSIMIS. GENEROSSI MIS. ET. EXCEL-
LENTISSIMIS. DOMINIS.

DOMINIS.

SACRAE. REGIAE. MAIESTATIS.
INTIMIS. STATVS. RERVM. QVE.
BELLICARVM. MINISTRIS.
MAECENATIBVS. AC. EVERGETIS. SVIS.
DEVOTISSIMO. PIETATIS. ET. REVERENTIAE. CVLTV.
NVNQVAM. NON. PROSEQVENDIS.

HASCE. LEVISSIMAS.

DE. IVRE. ET. IVSTITIA.

COGITATIONES.

CVM. ARDENTISSIMO OMNIS. HEROICA E. FELICITATIS. VOTO.
SVMMO. IVRE. SVMMA. QVE. IVSTITIA.
OFFERT. SE. QVE. ET. STVDIA. SVA. CONSECRAT.
CLEMENTISSIMORVM. SVORVM. DOMINORVM.

SVBIECTISSIMVS. SERVVS. AC. CLIENS.
PHILIPPVS. THEODORVS. MÆZER.

Q. D. B. V.



I.

VS dicitur a iubendo , cum Ius nil aliud sit , quam Iussus . (IV .)

II. Ergo non a Iustitia , cum ea demum ex Iure trahat originem . (LXXI .)

III. Ius vel physice sumitur , vel moraliter ; vltimum vel proprie vel improprie ; omnium propriissime pro lege usurpatur .

IV. Ius sumtum pro lege ; est Iussus Imperantis , quo is obligat omnes sibi subiectos , vt actiones suas instituant , boni , quod ipse intendit , obtainendi ergo .

V. Cum ius sit iussus ; (IV .) liquet : 1.) Ius non esse , nisi prius iubatur .

VI. Iussus late sumtus , sub se & contrarii comprehendit prohibitionem .

VII. Ergo Ius inutiliter dispeccitur in affirmatiuum & negatiuum .

VIII. Cum Ius sit iussus ; (IV .) patet : 2.) nec consilium esse Ius , nec fussionem ; neque dehortationem : immo nec permissionem , nisi ea iussu tegatur .

IX. Cum Iussus omnis vel expreſſe fiat , vel tacite ; ſequitur ? Ius omne vel eſſe expreſſum , vel tacitum .

A

X.

- X. Cum Ius expressum sere scribatur; Ius hoc nuncupatur scriptum: licet non semper scribatur.
- XI. Cum Ius tacitum constet ex visu parentium; Ius hoc dicitur non - scriptum: quamuis aliquando scribatur.
- XII. Cum Ius sit iussus Imperantis; (IV.) palam est: nec pactum Ius posse dici, nec id, quod iustum ab alio, quam Imperante, vel etiam ab Imperante quidem, ast non qua tali.
- XIII. Ergo non omne praeceptum Ius potest vocari.
- XIV. Cum omnis iussus requirat & Imperantem & Parentem; est in propatulo: Ius se non posse exserere, nisi in Societate.
- XV. Cum Societas alia aequalis sit, alia vero inaequalis, in omni tamen Societate ius sit, quod fertur ab Imperante; (IV.) liquefacit: Societatem aequalem, consideratam ut totum, loco esse Imperantis; spectatam vero secundum singula membra, haec vices subire parentium.
- XVI. Ergo Ius praeter utilitatem in rectorium diuiditur & aequatorium,
- XVII. Cum Societatum perfectissima sit ciuitas; patescit: Ius omnium perfectissime reperiri in societate ciuili.
- XVIII. Cum omnis Imperans vel Deus sit, vel homo; inferre licet: Ius aliud non dari, quam diuinum & humanum.
- XIX. Ergo Ius diuinum est id, quod a Deo iussum est.
- XX. Cum omne Ius vel expressum sit, siue scriptum, vel tacitum, siue non - scriptum; (IX, X, XI.) nemo ibit

ibit inficias; etiam Ius diuinum vel esse expressum sive scriptum, vel tacitum sive non-scriptum.

XXI. Cum ius diuinum non-scriptum constet ex naturali omnium hominum ratione pariter ac vsu; Ius hoc appellatur naturale: quia omnium quasi hominum naturae impressum est.

XXII. Ergo Ius Naturae omnium optime definitur per Ius sum Dei ex naturali omnium hominum ratione & vnu constantem, quo is hos omnes obligat, vt actiones suas instituant Summi Boui obtinendi ergo.

XXIII. Cum Ius omne, adeoque & naturale se perfectissime in ciuitate exserat, (XVII.) haec vero vel in se spectari possit, vel extra se; non incongrue Ius naturale diuidi potest, in Ius Naturae stricte tale, quod se exserit in ciuitate in se & qua tali; & Ius gentium, quod se exserit in ciuitate quoad alias ciuitates, vel gentes.

XXIV. Cum Ius diuinum scriptum constet ex sola voluntate Dei reuelata; Ius hoc dicitur voluntarium, reuelatum seu posituum.

XXV. Ergo Ius diuinum posituum est Iussus Dei expressa eius reuelatione manifestatus, quo is vel omnes homines, vel solum populum Hebraicum obligat, vt ad istum iussum actiones suas instituant Summi Boni obtinendi ergo.

XXVI. Cum Ius diuinum posituum vel omnes obliget homines, vel solum populum Hebraicum; (XXV.) Ius hoc non incommode distinxris in vniuersale & particulae seu Hebraicum.

XXVII. Cum Ius diuinum positivum vniuersale vel dirigat actiones omnium hominum in genere, seu inter se; vel in specie cultum diuinum; non male hoc Ius item diuiseris in Ius vniuersale generaliter tale & in tale specialiter sic dictum seu Ceremoniale.

XXVIII. Ergo Ius Ceremoniale etiam est vniuersale.

XXIX. Cum non saltem Ius naturale, sed & diuinum vniuersale in genere tale versetur circa actiones vel mores omnium hominum in genere, seu inter se; (XXII, XXVII.) utrumque recte dicitur morale.

XXX. Ergo non solum Ius naturale, sed etiam diuinum positivum vniuersale in genere consideratum, Ius morale dici potest.

XXXI. Cum Ius diuinum particolare solis Hebraicis datum sit, dirigens actiones illorum in iudiciis, unde & iudiciale, sive forense vocatur; (XXVI.) nullus negabit: Ius hoc non obligare alias ciuitates vel gentes.

XXXII. Cum, quod ab homine iussum, humanum sit: Ius humanum illud esse colligo, quod ab homine iussum est.

XXXIII. Cum omne Ius vel expressum sit, seu scriptum; vel tacitum, seu non scriptum: (IX, X, XI.) etiam Ius humanum vel expressum erit, seu scriptum; vel tacitum seu non scriptum.

XXXIV. Sed & eum omne Ius humanum vel ab ipso Imperante sit inuentum, vel ab eo aliunde defunditum: non incommodet etiam illud distinxeris, in Ius merum,
quod

quod ab ipso Imperante inventum; & mixtum, quod ab eodem hinc vel inde desumtum.

XXXV. Deinde, cum Ius humanum vel ab vna tantum ciuitate sit sanctum & receptum, vel a pluribus; non incommoda Ius hoc rursus dispesceris in proprium cuiusque ciuitatis, quod ab vna modo ciuitate; vel gentium, quod a pluribus receptum.

XXXVI. Praeterea, cum variae sint ciuitates, variique Imperantes humani; sponte fluit: tot esse Iura humana, quot ciuitates, Imperantesque humani.

XXXVII. Denique cum singulæ ciuitates, Iura sua varie rursus ratione tum caussæ efficientis, tum subiecti, tum obiecti, tum finis diuidant; Iura humana, pro diuersa illa ratione, varia esse & innumera, quis non perspiceret?

XXXVIII. Cum Imperans obliget per Ius; (IV.) sequitur; Ius proprio non obligare, sed instrumentum duntaxat esse, quo Imperans obligat; et si ita metonymice dici posse concedam.

XXXIX. Cum Imperans per Ius obliget; (IV.) sequi iudico: 1.) Ius non ferri, nisi subditis.

XL. Ergo Ius non fertur ipsis Imperanti, nec Imperanti alieno, nec huius subditis; nisi quoisque hi apud Imperantem commorantur.

XLI. Ergo Ius aeternum, secundum quod Deus necessario agat, figmentum est merum scholasticorum.

XLII. Ergo Ius divinum, tam naturale, quam positivum, etiam fertur Imperanti humano; cum & is sit subdi-

tus Dei: modo Ius illud non respiciat eius subditos tantum, nec sit particulare; vt tamen & hoc saltem feratur etiam Imperanti Hebraeo.

XLIII. Cum Imperans per Ius obliget; (IV.) fluit; 2.) Ius non ferri, nisi intellectu valentibus.

XLIV. Ergo Ius non fertur brutis, nec infantibus, nec furiosis; et si de his omnibus feratur.

XLV. Cum Imperans per Ius obliget; (IV.) liquet: 3.) Ius non ferri, nisi iis, qui libertate ita agendi vel non, sunt praediti.

XLVI. Ergo Ius non fertur seruis, nec captiuis, neque vincitis; nisi adhuc libertate ita agendi vel non, fruantur: vt tamen de his omnibus feratur.

XLVII. Cum Imperans per Ius obliget; (IV.) dispalefecit: 4.) Ius non ferri, nisi de iis, quae in potestate parentium sunt.

XLVIII. Ergo Ius non fertur de eo, quod vel simpliciter, vel secundum quid fieri nequit.

XLIX. Cum Imperans per Ius obliget; (IV.) liquere est: 5.) Ius debere esse cognitum parentibus.

L. Ergo Ius manifestari debet parentibus; et si etiam ante manifestationem Ius sit, immo nec cuius manifestari necesse sit.

LI. Ergo, vbi Ius manifestatum, nemo ignorantia Iuris excusatur; nisi ea invincibilis sit & efficax: aut etiam Imperans ex speciali quadam gratia Ius ignorare permitrat, v. c. mulieribus, minoribus, militibus, rusticis.

- 7
- LII. Ergo non omne Imperantis institutum, seu factum Ius est, cum non ex quoquis eius facto ipsius statim iussus cognosci possit.
- LIII. Cum Imperans per Ius obliget; (IV.) patet: 6.) Iuri ab Imperante etiam addi posse poenam, saltem maioris ponderis ergo; etsi ea non semper sit necessaria.
- LIV. Ergo poena non est pars essentialis Iuris, multo minus electionem innuit, vel obseruandi Iuris, vel poenae subeundae.
- LV. Cum Imperans etiam diuinus, per Ius suum obliget; patet: etiam hunc, homines ad seruandum Ius suum, adiectique poenae adigere posse.
- LVI. Cum Imperans humanus sit vicarius Dei in terris; liquet: etiam hunc, vi cogere posse, immo & debere subditos suos ad seruandum Ius diuinum, tam naturale, quam posituum vniuersale, qua hoc a Deo arrogatum non est.
- LVII. Cum Imperans per Ius obliget omnes; (IV.) sequitur: Ius quoad obligationem ferri omaibus, modo ea obseruentur, quae dicta (XXXIX.seq.) etsi quoad commodum vel incommodum non ad omnes eorum pertineat personas.
- LVIII. Ergo & rescriptum Ius est, & mandatum & decretum, immo & priuilegium; cum haec omnia quoad obligationem ferantur omnibus: etsi quoad commodum vel incommodum, non ad omnes eorum pertineat personas.

LIX.



- LIX. Cum Ius feratur vnicē boni illius, quod Imperans intendit, obtinendi ergo; (IV.) patet: Ius nil aliud esse, quam medium obtinendi bonum illud, quod Imperans intendit.
- LX. Cum Ius sit medium obtinendi bonum illud, quod Imperans intendit; (LIX.) videre licet: medium illud, s. Ius debere esse aptum & sufficiens ad obtinendum bonum illud, quod Imperans intendit; et si in aliquibus subiectis deficiat.
- LXI. Ergo, si medium hoc non sit aptum & sufficiens ad obtinendum bonum illud, taltem in plerisque, aut plane id destruat; medium hoc non est Ius.
- LXII. Ergo, si medium hoc, seu Ius procuret illud bonum, saltem in plerisque; est Ius vere ac proprie tale: et si ratio Iuri forte adiecta, auctu se non exferat, immo in particulari penitus cesserat.
- LXIII. Ergo, si medium hoc, seu Ius bonum illud producat; adhuc Ius est; et si sit irregulare, seu singulare: vnde & Ius singulare, Ius est.
- LXIV. Cum omne Ius vnicē feratur boni illius, quod Imperans intendit, obtinendi ergo, (IV.) bonum vero illud varium sit ac multiplex; sequitur: tot esse lura, quot sunt bona, quorum obtainendorum ergo illa feruntur.
- LXV. Ergo etiam Ius est, quod producit malum reuera-
tale, modo ab Imperante ut bonum consideretur;
& rursus: Ius omnium perfectissimum est, quod pro-
ducit summum bonum.

LXVI.

9

LXVI. Cum omne bonum, quod Imperans intendit, saltem ex voto ac intentione Imperantis, sit perpetuum; omne Ius, etiam humanum, saltem ex voto ac intentione Imperantis, perpetuum ac immutabile esse colligo.

LXVII. Cum nullum bonum, etiam summum, propter varios casus, qui in vita humana accidunt, semper ac perpetuo obtineri possit; nullum Ius re ipsa perpetuum ac immutabile est: excepto iure naturali, eum id Deus ipsi hominum naturae, quam perpetuam, ac immutabilem esse voluit, indiderit; et si & illud propter varios casus, qui in vita humana obveniunt, aliquando variari videatur, ac mutari.

LXVIII. Ergo omne Ius, non modo humanum, verum etiam diuinum posituum, tam particulare quam universale re ipsa mutabile est; non solum propter varios casus in vita humana reperiundos, circa quos Ius omne versatur, sed & quod omne illud Ius, in sola Imperantis libera positum sit voluntate, quae in Deo omnium est liberrima.

LXIX. Ergo non solum Ius Hebraicum penitus a Deo immutatum & plane extinctum est, extincta scilicet Hebraeorum ciuitate; sed & Ius ceremoniale, extintis typis illis ad Christum, quos Ius hoc unice referrebat.

LXX. Cum, quod secundum Ius sit, iustum vocetur; ultra fluit; iustum non esse, nisi praecedat Ius.

LXXI. Cum ex crebris actionibus iustis procreetur IVSTITIA; video: nec Iustitiam esse ante Ius; cum enim nihil aliud sit, quam habitus operandi id, quod iustum

stum vel iussum est, seu obedientia erga Ius. Vnde & Iustitia non male ab aliquibus dicitur a Iure & sistendo, quasi Ius ob oculos & animum sifstat.


LXXII. Cum obedientia illa erga Ius vel vnicē sit erga illud Ius, quod circa commutationes occupatur, vel sit erga omne Ius in genere; refulget: Iustitiam aliam vniuersalem esse, aliam particularem.

LXXIII. Cum Ius in genere non solum circa commutations versetur, sed & circa actiones omnes in ciuitate se exerentes; liquet: ex Iure in genere sumto, non solam resultare Iustitiae particularem; sed & quam maxime vniuersalem.

LXXIV. Cum bonum illud, quod Imperans intendit, tam in commutationibus, quam aliis quibuscumque actionibus, nunc arithmeticā, nunc geometricā adhibita proportione, obtineri possit; infero: nec vniuersali nec particuliari Iustitiae certain semper attribui posse proportionem; sed utramque nunc secundum hanc, nunc secundum illam agere, prout omnium commodissime bonum illud, quod Imperans intendit, obtineri potest.

LXXV. Cum tot sint Iura, quot ciuitates, earumque Imperantes (XXXVI.) vel bona, quae Imperantes intendunt; (LXIV.) resplendet: tot esse iusta, Iustitiaeque species, quot sunt Iura; omnium vero perfectissimum iustum & Iustitiam perfectissimam provenire ex Iure diuino; & quidem generaliter ex naturali & positivo vniuersali, specialiter tantum ex Iure particulari, siue Hebraeo.

SOLI DEO GLORIA! QVI SOLVS IVS EST,
ET IVSTITIA MEA.



Königsberg, Disc; 1720-39

f

sb.


VolP

ULB Halle
004 587 928

3



B.I.G.



3443.

ANNVENTE. DIVINA. IVSTITIA.
IVBENTE. AMPLISSIMO. PHILOSOPHORVM. SENATV.

CONCATENATAS.

DE.

IVRE. ET. IVSTITIA. COGITATIONES.

IN. HELICONE. PATRIO.

PRO. IMPETRATIS. PHILOSOPHIAM. DOCENDI. IVRIBVS.

H. L. Q. C.

IVSTO. PRVDENTVM. IVDICIO.
HVMANISSIME. SVBMITTIT.

M. PHILIPP. THEOD. MÆSSE. 15
S. S. T. CVLTOR.

AVXILIVM. SVBMINISTRANTE.
IOHANNE. IOACHIMO. KLINGER.
BORVSSO.

CASSIODORVS. IN. PSALMOS.

IVSTITIA non nouit patrem, non nouit matrem: veritatem nouit,
personam non accepit, Deum imitatur.



IN. MONTE. PRVTENORVM. REGIO.
IMPRIMENTE. REVSNERO.

A. O. C. cl̄o Is cc xxxvii. DECIM. CAL. MART.

